



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Controversiae Ecclesiastico-Historicae

Casteel, Gerard

Coloniae Agrippinae, 1734

VD18 10739254

Controversia XIII. De Simulatione Cephæ Et Reprehensione Pauli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

CONTROVERSIA XIII.

D E

Simulatione Cephae

Et

Reprehensione Pauli.

Doctor Gentium Paulus Apostolus perhibet, quod cum Antiochie in praedicatione Evangelii persisteret, ibidem Cepham reperit vescentem promiscue cibis quibuslibet cum Gentibus. Interea, ut refertur, venerant ab Hierosolymis ex Judaeis Neo-Christiani, nondum Moysen plane deducti, qui Gentium contubernia averfabantur: nihilominus eorum non patiebatur infirmitas, ut propterea durius castigarentur: sed erant sensim ab observantia legalium abducendi. Quapropter Cephas veritus, ne ex illa cum Gentibus promiscua offenderentur conversatione; huic eorundem infirmitati benignè condescendendo, moderi volens, à Gentilium, jam fide imbutorum consortio tantisper abstinuit. Eo autem hi facto graviter offendebantur, atque suspicabantur sese à Cepha velut impios homines contemptui haberi, inferebantque certis qui-

busdam cibus in assumpta Religione Christiana abstinendum esse. Imò ex Judaeis ad fidem conversi, inter quos Barnabas, ex illo Cephae facto scandalizati & vehementer concussi, in fide nutare coeperunt. Paulus autem utrique parti consulere volens, Cepham reprehendit; quatenus Judaei videntes hunc palam objurgari, neque tamen Paulo repugnare, vel ex hoc illius silentio colligerent, nihil jam esse immundum. Quo similiter & Gentiles perciperent, legem Christi non prohibere cibos, quos aliquando Cephas cum iis sumpserat.

Nihil quidem Lucas in actis Apostolorum, à se conscriptis, de his gestis meminit; narrat tamen Paulus ipsemet in Epistola ad Galatas cap. 2. his verbis. *Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restitit, quia reprehensibilis erat. Priusquam enim, quam venirent quidam à Jacobo, cum Gentibus edebat; cum autem venissent, sub-*

traheret & segregabat se, timens eos, qui ex circumcissione erant. Et Simulatione ejus consenserunt ceteri Judai; ita, ut & Barnabas duceretur ab eis in illam Simulationem. Sed cum vidissem, quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii; dixi Cephæ coram omnibus. Si tu, cum Judæus sis, gentiliter vivis, & non Judaicè, quomodo Gentes cogis Judaizare?

Primum quod in hac Controversia expediendum venit, illud est, quisnam fuerit Cephæ iste, qui propter narratam Simulationem minus consultam à Paulo fuit reprehensus. Quod, ne insubidè in inquisitionem deduci videatur, eo quod communiter recepta teneat sententia Petrum Apostolorum Principem, qui à Christo appellatur Cephæ Jo. cap. 1. fuisse à Paulo objurgatum: sciendum est, contrariam opinionem, quæ Cephæm fuisse alium virum à Petro Apostolo statuit, non esse neotericum inventum, excogitatum, ne aliàs Petri in Sede Romana successores correctioni pariter videri possent obnoxii: sed esse quorundam antiquissimorum Patrum sententiam, quam sæculo III. tradidit Clemens Alexandrinus apud Eusebium non refragantem H. E. Lib. 1. cap. 12. ubi ait. Cephæm à Paulo reprehensum fuisse unum ex 70. discipulis, Petri Apostoli cognominem. Eundem Cephæm Dorotheus, Tyri Presbyter, seu, ut alii volunt Episcopus, Martyr, Sæcul. IV. Scriptor, collocat inter discipulos in *Synopsi de vit. & morte discipulorum Christi*. Tertius idem est in Ordine apud Authorem Chronici Alexandrini. Et hi quidem floruerunt in Oriente, ubi certior haberi, & transmitti ad posteros ejus dissidii memoria potuit. Denique testatur S. Hieronymus in *Epist. ad Galat. cap. 2.* fuisse, qui Cephæm, cui Paulus in faciem restitit, non putent Apostolum Petrum: Sed alium de 70. discipulis Domini isto vocabulo nuncupatum. Hanc etiam nonnullorum de di-

versis personis opinionem indicat S. Anselmus Cantuariensis, si tamen Author est, *Comment. in Epist. Pauli* quæque etiam probabilis videtur Oecumenio *Nar. in Acta*. Ex Recentioribus eandem tuentur Garerius, Pighius, nostròque ævo operosè, copiosè, non minus quàm ingeniosè illam defendendam suscepit Joannes Harduinus dissertatione hac de re instituta; cujus sanè rationes non omninò solidæ, saltem non planè imbecillæ videri possent. Sunt autem hæ.

I. Cum Cephæ Antiochiæ à Paulo reprehenderetur Petrus Apostolus fuit Hierosolymis in Concilio, cui occasionem celebrandi dedit Cephæ Simulatio & Judæorum pertinacia, de quibus Paulus *loc. cit.* & Lucas *Act. cap. 5.* Fuitque ad Petrum, velut ad judicem de statu causæ relatum. Mansit interim Cephæ Antiochiæ, quando scilicet *Act. loc. cit.* Antiocheni statuerant, ut ascenderet Paulus & Barnabas. *Et quidam alii* alius ad Apostolos & Presbyteros super hæc quæstione. Quo intelligitur ex parte eorum, qui circumcissionem necessariam negabant, Paulum & Barnabam; ex parte autem illorum, qui eandem adstruebant, quosdam alios, vix de nomine cognitos fuisse missos. Non fuit igitur ex horum numero Cephæ, utpote quem maximè nominari oportuisset; potissimum si Petrus Apostolus fuisset, qui certè ex numero affirmantium nequaquam extitit. Non fuisse autem Cephæm reprehensum post celebratum Concilium, si is Petrus fuisset, Harduinus evincere conatur ex citato Actorum capite. Quia Petrus fuisset lapsus in hæresin, docuissetque exemplo; quando post Concilium Hierosolymis tam locorditer sese gessisset Antiochiæ in materia Circumcisionis, quam necessariam factò monstrabat Gentilibus baptizandum observaret Legalia: id, quod de Apostolorum Principe, qui jussus fuerat contumare fratres suos, nefas est cogitare. Qui

cum Cornelio etiam quondam Centurione prænatus est, cœnavitque aliquot diebus Act. cap. 10. & se objurgantibus animosè respondit. Jussu divino illud à se factum. Act. cap. 11. Econtra Cephæ ille pavidus Judæos, qui venerant Antiochiam timebat, ne illi objicerent, quod aliàs Petro objectum fuerat. Accedit, quod si Petrus fuisset reprehensus in hac gravissima materia, quod non secundum Evangelium ambulare, potuerit & frequentius errasse. Quo admissio Sacrarum litterarum auctoritas labefactatur, quarum partem Petrus non secundum Evangelium scripsisset: imò nec Paulus, nec Joannes, quibus non fuit major prerogativa infallibilitatis, quam Petro, Scriptores Canonici censerent deberent. Deinde Paulus loc. cit. vers. 7. & 8. nominat Petram, postea vers. 9. Cephæ meminit, quem ponit inter Jacobum & Joannem. Non est autem verisimile, quod in uno sermonis contextu, eademque ferme sententiâ Paulus unam eandemque personam diversis nominibus appellaverit. Neque duntaxat obscure, sed etiam irreverenter locutus fuisset, ponendo Apostolorum Principem citato versu nono, secundo loco, quem omnes Evangelistæ primo semper loco propter eminentiam nominant, quando alios Apostolos referunt. Observandum quoque, quod adveniente Cephæ Antiochiam, Simulationi ejus consenserint ceteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam Simulationem, non ab eo, Cephæ, quem Barnabas minus æstimabat, quam Judæos: quare non Cephæ: sed Judæorum auctoritate permotus fuit. At si Petrus Apostolus fuisset ille Cephæ, hujus facti præcipuè inductus fuisset Barnabas. Emphasis etiam in eò esse videtur, quo intimatur, non solum Cephæ Judæosque ceteros: sed etiam, qui his major est, Barnabas scilicet, abriperetur in illam reprehensione dignam Simulationem.

Illud pariter hic in considerationem veni-

re debet. Quod si Petrus Apostolus fuisset Cephæ ille, graviter Paulus peccasset contra Christi præceptum, quando, ommissa correctione fraterna occulta, illum publicè objurgasset, qui jure tamen Cephæ sic arguit tanquam subditum, cui ab hominibus tantum, non à Deo fuerat concreditum Evangelium, ad quod Apostolus ibidem in Epitola alludit. Insuper Cephæ fuit natione Judæus, quomodo expresso verbo illum Paulus compellit. *Tu, cum Judæus sis.* Petrus autem fuit Galilæus, quas Nationes Lucas Act. cap. 2. distinguit. Nec parum ad illam personarum diversificationem tribuit locus 1. Cor. 9. *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli & fratres Domini & Cephæ?* Ubi Paulus videtur aperte negare, Cephæ esse de numero Apostolorum, primi scilicet Ordinis, quia hunc illis & fratribus Domini postponit.

Atque hic est Cephæ ille, de quo sermo Epist. cit. cap. 15. *Quia visus est Cephæ & post hoc undecim.* Visus scilicet prius Cephæ; deinde undecim, inter quos Petrus erat. Apud Lucam verò cap. 24. de Petro legitur. *Et apparuit Simoni.* Cui Christum primò, deinde Apostolis undecim apparuisse Scriptura non meminit. Ubi bene notandum occurrit; quod neque, qui primi concordantias locorum apposuerunt in margine Bibliorum; neque, qui hos secuti fuerunt Doctores Lovanienses in sua editione, neque alii auctores hujus loci 1. Cor. cap. 15. *Et quia visus est Cephæ.* adscribere in margine Luc. cap. 24. Ubi legitur. *Et apparuit Simoni.* Sed alterum omninò locum in alterius loci marginem referre usque ad hunc diem omnes reformidarunt.

Itaque cum Cephæ, qui citato 1. Cor. cap. 15. memoratur, abique ullo dubio sit idem, qui Galat. 2. refertur, idem verò distinctus sit à Petro Apostolo: hinc etiam Cephæ ille alius est 1. Cor. cap. 15. nominatus,

O

æque

æquè ac ad Galat. cap. 2. quàm Petrus Apostolus.

Neque illud silentio prætereundum videtur, quod Joannes Evangelista omnino tricies Petrum nominaverit, nunquam autem Cepham, quale illi nomen à Christo impositum fuisse narrat cap. 1. Tu vocaberis Cephæ. *Quod Marcus omisit scribens. Et imposuit Simoni nomen Petrus. Matthæus. Tu es Petrus.* Lucas nec in actis nec in Evangelio Cepham appellat. Sed neque ipse Petrus in Epistolis sese Cepham nominat.

His nonnullisque aliis rationibus memoratus polyhistor studet evellere errorem, ut vocat, qui plerumque, etiam Catholicorum animis insedit; existimantium, Petrum Apostolum, & eorundem Principem à Paulo fuisse reprehensum. In qua causa jugulum petit Samuel Basnagus in *Annalib. Politico-Ecclesiasticis ad annum Domini 50. n. 9.* scribens. *Ceterum a vero ea prorsus abhorret sententia, quæ ignotum Cephæ Petro sufficit Apostolo. Si à Paulo scriptum fuisset. Cum Cephæ venisset Antiochiam. nominis ambage forsitan veritati tenebra offunderentur. At à Paulo disertè fuit dictum. Cum Petrus venisset Antiochiam. Nullus autem in Epistola ad Galatas Petrus, nisi Apostolus, qui Paulo, Barnabæque, dextram dederat societatis.* Verùm jugulatur gladio vir inter suos multum spectabilis. Hanc enim, quam adfert lectionem, nunquam admittit; sed semper repudiavit, ac etiamnum repudiat Dei & Ecclesie, quæ est columna & fundamentum veritatis *1. Tim. 3.* Siquidem vulgata, & vetustissima exemplaria pleraque, saltem Latina, solum Cephæ nomen in hujus rei gestæ expeditione exhibent. Quidquid S. Hieronymus, (qui novum testamentum Græcæ fidei sese reddidisse scribit, vulgatam tamen editionem, sua verstiorum, ubique præfert,) in illa interpretatione Latina, tam hîc, quàm alibi, Petri ponat nomen; certum tamen est iis locis citatæ Epi-

stolæ multo tempore ante Cephæ nomen positum; ubi Hieronymus Petri nomen habet. Siquidem Clemens Alexandrinus, alii-que apud ipsum Hieronymum, Cephæ nomen legerunt. Quæ illis unica ratio fuit, ut sibi persuaderent, Cephæ hunc esse alium à Petro. Textus Græcus à vulgatis diversus nullo poterit esse præsidio; tum quod codices sint corrupti; tum quod sibi in variis editionibus minimè constent. Alii enim in ea ad Galat. Epistola cap. 2. v. 9. 11. & 14. Petrum pro Cephæ exhibent, alii duntaxat *vers. 11. & 14.* alii v. 9. Cephæ prorsus omitunt. Codex manuscriptus, qui reputatur 1300. annorum, à Cyrillo-Lucara, Patriarcha Constantinopolitano, Regi Angliæ missus in tribus versibus habet, quem admodum vulgata, nomen *Cephæ*; tamen, ut Petrus ibi intelligatur, cap. 1. ubi legitur. *Veni Hierosolimam videre Petrum.* pro Petro. *Cephæ* ponitur; eo quidem fine, ut, dum hîc Petrus citra dubium intelligitur; sic capite sequenti intelligi oporteat.

Nec major vis inest argumento, quod citatus Author sic nuncupatorum annalium sumit à contrario, & his verbis urget. *Ex Clementis sanæ sententia, Pauli argumentationis nervi inciduntur omninò, cum ex objurratione Petrina probatum voluerit, se majoribus Apostolis dignitate fuisse parem. Quod immeritò concluditur, si Cephæ nescio quis, in locum Petri substituatur Apostoli.* Nam responderi possit, quod Paulus in sæpe citata Epistola id intenderit, ut suæ potius, quàm Cephæ sententiæ standum esse suadeat, idque probat ex eo, quod Evangelium ipse didicerit, non ab hominibus, ut Cephæ, qui, quoniam Jesum post resurrectionem vidisset, existimabatur exteris Doctoribus præferendus; sed Paulus gloriabatur, Evangelium sese didicisse ab ipso Christo, quem Magistrum Cephæ non habuerit, sed Petrum, aliosque Apostolos. Nec Cephæ quidquam Evangelicæ doctrinæ Paulo con-

tulit

tulit; quare ipse contendit, se majoribus Apostolis esse parem: cum Evangelium ipse, æquè ac Apostoli, à Christo acceperit; majorem etiam cæteris quibuscunque, qui cum Cepha videbantur esse columnæ Ecclesiæ, ob testimonium, quod de Christi resurrectione reddebant. Et quomodo Paulus se Petro præferendum esse contenderet, hoc nomine, quod Evangelium à Christo didicerit? cum ea laus, saltem æquè, Petro conveniat. Ergo Cephas Petrus non est, subinfert accuratissimus Harduinus.

Verum enim verò, ut hæc præliminaria ad jucundam exercitationem potius, quam ad causæ decisionem paulò prolixius sint deducta; quæ diversimodi quandoque homines genii, pro diversitate rerum suarum diverso situ, ex diversa intentione sibi applicuerunt. Harduini sanè sententia, utcunque fundata, sibi que certa videatur, & nihil argumentorum ab eo intermissum sit, quo illa plausibilis, atque probabilis fieri posset: quia tamen torrenti obnititur, stabiliri non poterit, sublesto, ex temporis prioritate fœnerato, innixa fulcro, cujus vacillantes censentur hypotheses, pleræque rationes haud satis firmæ. Sic v. g. licet illa altercatio concilium præcessisset, ut S. Augustinus *Epistol. 82.* magis arbitratur verum; & Pelagius II. R. P. apud Labb. *tom. 5to* insinuat: quorum opinionem Ludovicus Maimbourg cum plerisque recentioribus amplectitur: non liquet tamen ex Scriptura Sacra, quod dictum dissidium convocandi concilii fuerit occasio: nec quod Petrus minus citò, quam alii missi, (si tamen hæc eadem sit causa, de qua Lucas *Act. 15.*) Antiochiâ Hierosolymam venire nequiverit. Neque ea demum annorum series, rerumque gestarum à Petro & Paulo chronotaxis, quam Harduinus supponit, à cæteris omnibus, ut certa admittitur: adeoque, quæ hinc deducuntur, pro incertis haberi debent. Sed si hujus contentione epocha memorato Concilio subjunga-

tur, prout eam subjungunt Theodoretus, Baronius, Tillemontius, Natalis Alexander, Emanuel Schelstrate, cum reverentia ab Augustino recedens, non ideo quis, Harduinus minus audax, ex simulatione illa notam hæreseos Petro impinger. Quamvis enim hæc Apostoli simulatio inconsultior fuerit; à mala mente, perverloque animo tamen non provenit. Sola pertinacia intellectus de rebus fidei in verbo vel facto hæresim constituit. Ea absente, error esse potest; hæresis esse non potest. Cum itaque in Concilio Hierosolymitano de gentibus duntaxat, illarumque libertate definitum; non item de Judæis pronuntiarum fuisset, quod & illis liceat gentili libertate frui; non ideo mira videri debet hujus Apostoli peripheria; quam hæresis immunem declaravit Christianæ Sapientiæ Palladium, Sorbona scilicet, Sacræ facultatis Theologicæ Parisiensis nobilissima portio: quando, referente Schelstratio, *Antiq. illustrat. Dissert. 1. c. 1. n. 3.* damnavit Marci Antonii de Dominis sententiam *Lib. 1. cap. 6. num. 35.* quod Petrus Apostolus, post Spiritus Sancti illapsum, à fide discesserit. Et quomodo poterat à fide discedere, cui Christus Luc. *cap. 22.* dixerat. *Ego rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua? An ergo Christus non fuit exauditus à Patre; qui Joannis cap. 11. dixit ad Patrem. Ego autem sciebam, quia semper me audis.* Qualemcunque demum Harduinus tribuat ex Clemente Stromateo suæ opinioni antiquitatis prærogativam, eadem tamen veritati nil officit. Quandoquidem non ea semper vera, quæ antiquiora. Antiquis in more positum; ut, quidquid ab aliis observatum viderent, corraderent: & quandoque etiam sine delectu, aut censura proponerent, id, quod eorum expositiones multum labefactavit. Non ergo mirum si hujusmodi expositiones etiam in Clementis operibus reperiantur, cujus hypotyposes, si fides habenda Phorio, in *Biblioth. cod. 9.* continuerunt impios & fabulosos sermones.

Cui conformis est Richardi Simonis *tom. 3. Crit. in N. T. censura*. Scilicet Clementis hypotypofes esse farraginem expositionum, & sententiarum, ex hæreticis non minus, quàm orthodoxis collectarum. Quamplurimos certè de Christo, Angelis, peccato Originali &c. errores in Clementis contextoris octo libris viri gravissimi observant: qui, si scripti sint, ut Du Pinus *in nova Biblioth. auth. Eccles.* arbitratur, antequam Author in religione Catholica plenè atque perfectè fuerat instructus; id quidem excusat à tanto: sed non à toto. Displicuit ideo fortè Clementis Romanis Censoribus, cui Sanctitatis Titulus à Natali Alexandro, propterea notato, *in hist. Eccles. est affixus*. Joannes Baptista Sollerius tamen in Martyrologio Usuardi, nuperrimè edito, ad quartam diem Decembris scribit. Se non satis perspicere, quæ serupulo duci potuerint Romani Martyrologii reformatores, ut tam illustrem virum ex Sacris tabulis expunctum vellent. Dorothei Tyrii Synopsis spuriam, confictamque esse, norunt mediocriter eruditi; quam aliqui quidem tribuunt Dorotheo Tyrio seu presbytero, seu Episcopo; alii cuidam Dorotheo Antiochiæ presbytero, Eusebii Cæsareensis Magistro, alii alteri Dorotheo cævo, obscurioris nominis. Qui in Chronico Alexandrino ponitur Cephæ tertius in ordine discipulorum Christi, factus Episcopus in Cana refertur; à Du Cange, in edito à se Dorothei commentario, quinquagesimus primus in eodem ordine locatur. Multi interim inter Criticos, hanc Synopsis non recentem: putant compositam occasione famosæ illius inter Romanam & Constantinopolitanam Ecclesiam contentions sub Pontifice Joanne, non IV. qui anno Christi 639. sedere cæpit; quemadmodum visum fuit Clarissimo Lambecio *Com. de Biblioth. Cæsarea Lib. 9.* sed sub sancto Joanne I. qui anno 323. electus fuit. Id, si verum sit; nec Tyrius nec alius citatus Dorotheus operis At-

thor dici poterit: cum hi longo tempore præcesserint. Manet equidem certum in primævo suo conceptu multis confartum fuisse erroribus.

His' itaque præcis cæterisque recentioribus paucissimis relictis, viam communem ingredi fas erit cum Origine Jo. Chrysofostomo Augustino Hieronymo, qui in *com. ad Epist. ad Galat.* Sic profitetur. *Aterius Cephæ nomen nescimus, nisi ejus, qui & in Evangelio, & in aliis Pauli Epistolis, & in hac quoque ipsa modo Cephæ, modo Petrus scribitur.*

Atque in hac hypothefi fuit olim inter eruditos magno utrumque calore agitata controversia, necdum hodiè terminata. At Paulus super hoc facto verè reprehendens Cephæ; an simulatè tantùm; prævia scilicet conventionè inter eos facta. Simulationem reprehensionem fuisse censent Origenes, Eusebius Emys. Dydimus, Theodorus Heraclestes, Jo. Chrysofostomus, quos citat & sequitur S. Hieronymus, testaturque quod cæteri Scripturæ Sacræ interpretes idem sentiant. Horum rationes sunt.

I. Petrus erat à Christo Domino constitutus Apostolorum, ac totius Ecclesiæ supremum caput. Ergo Paulus (cujus vel inde procacitatem arguit Porphyrius apud Hieronymum) non præsumpsit Petrum, quem veluti columnam Ecclesiæ fuit reveritus, cum magno scandalo, ob legis Mosaicæ observantiam, publicè reprehendere, posthabitis Christi regulâ Matth. *cap. 18.* de admonitionum gradibus, quin potius *in faciem*, id est in speciem tantùm eidem restitit; quatenus sic Judæi (qui indignè tulissent sese reprehendi ob legalium observantiam; à Paulo de quo, ut Chrysofostomus scribit, non magnificè sentiebant,) videntes suum Doctorem in objurgatione obicentem; plenius instruerentur, quod amplius legalia non essent observanda.

II. Fidem non mereatur, quod Paulus potuerit Petrum seriò reprehendere ob legalium observantiam; quia ipsemet Timotheum circumcidit, & in aliis occurrentibus occasionibus, habita ratione loci, personarum & temporis, legalibus usus fuit. Quomodo ergo is poruit seriò reprehendere Petrum, qui eadem tantum semel, & sat cautè observavit? igitur nonnisi post conventionem Petrum reprehendit, ut Judæi veterum cæremoniariarum tenacissimi, & necdum in fide solidati, silentio Petri objurgati, confunderentur. *Quam sententiam*, inquit Illustrissimus Petrus de Marca, *Concord. Lib. 3. cap. 15. n. 7. persuadere videtur agendi, ratio, quam in simili facti specie amplexus est Paulus, qui ne Judæos à se alienaret, quin potius Christo conciliaret, Timotheum circumcidit, caput suum rasit Hierosolymis.*

III. Constat Paulus, quod illa Petri simulatio in solo facto; non doctrina consisteret: & variationem hinc & nunc necessariam, aut saltem congruam esse ad præcavendum Neophytarum scandalum. Jam enim Petrus, S. Spiritus illustratione edoctus, circa fidem infallibilis redditus fuerat: neque ejus fides deficere poterat ex Luc. cap. 22. Præterea in Concilio Hierosolymitano ab Apostolis decretum fuerat, ne quis gentes cogeret judaizare. In Cornelii vocatione Petrus fuerat cœlitus instructus, non esse immundum amplius, quæ lex edere vetabat. demum is Evangelium cum Paulo contulerat, huicque dextram dederat; ergo Paulus Petrum non aliter, quàm se sentire sciebat; quamvis ob causas aliter exterius hic sese gereret. Itaque reprehendit illum dispensatoria simulatione, ut sic utrique parti cautum esset; præsertim cum Petri peccatum non esset grave, ut meritò possint alii inde scandalizari. Unde proveniebat scandalum passivum; non autem erat in Petro scandalum activum; ut scribit bene Sanct. Thom.

2. 2d. Quest. 43. artic. 6. ad 2. . . .

Contrariam sententiam acerrimè propagat S. Augustinus, Sanctumque Hieronymum oppugnat. Inter quos, ob hoc argumentum, tam vehemens exitit conflictus epistolaris, ut ex mutua vellicatione sanctæ eorum amicitia, & familiaritas magnum læsionis discrimen subiret. Exposuerat S. Augustinus sensum suum de Petri simulatione, atque Pauli reprehensione; voluitque desuper exquirere. S. Hieronymi judicium. Hic respondens Sancto Episcopo, quem vocat ætate filium, dignitate Patrem, suadet, ut desinat se, senem in cellula latitantem, lacessere; quæratque juvenes Romanos quibuscum congregiatur: ingerens illud. *Bos lassus firmum fugit pedem.* S. Augustinus rescribendo humiliter deprecatur, si fortè sanctum Doctorem læserit: eumque egregiis laudibus effert; interserens. *Si forte bos, ut tibi videris, lassus sanitate corporis, non viribus animi in area Domusica fructuoso labore, desudans &c.* non tamen sibi persuasum esse debere, quod illi, aut alteri, cuivis scriptori tantum tribuat authoritatis; quantum Libris Canonicis tribuit. Et cum S. Hieronymus peteret, ut se permitteret errare cum multis; ostendit huic Augustinus, de allegatis pro sua opinione contraria Authoribus parum subsidii obvenire, quorum unum ipse Hieronymus aliàs scripserat apostatam, alterum hæreticum esse. Tertium & quartum, Origenem scilicet, & Didimum acriter olim ab eo vapulasse, sic, ut solùm tres integri maneant. Cum interim Hieronymus urgeret, ut unicum saltem Augustinus pro sua sententia profertret Authorem; allegat duos, Cyprianum scilicet, & Ambrosium. Tertium, inquit, possem, ut arbitror, faciliè reperire, si multa legissem. Pro ut Tertullianum faciliè reperisset. Atque in Epistola 110. quæ est inter Hieronymianas 87. priorum omnium responsiva, suam sententiam

tueretur; ostendens, non dispensatoriam, aut simulatam, sed dignam; & veram fuisse Petri reprehensionem à Paulo; sicque discurrit. *Veruntamen ipse mihi pro his omnibus; imo super hos omnes Apostolus Paulus occurrit, ad ipsum confugio, ad ipsum omnes, qui aliud sentiunt litteralibus suis tractatibus, provocos; ipsum interrogans interpello; & requiro in eo, quod scriptum est ad Galatas, vidisse se Petrum non rectè ingredientem ad veritatem Evangelii; eique in faciem propterea restitisse, quod illa simulatione gentes judaizare cogebat; utrum verè scripserit, an fortè, nescio, qua, dispensativa facultate mentitus sit. Et taudio eum, superius in ejusdem narrationis exordio religiosa voce mihi clamantem. Quae autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior. Dent veniam quilibet aliud opinanti, ego magis credo tanto Apostolo in suis & pro suis litteris juranti, quam cuiquam doctissimo de alienis litteris disputanti. Evincit itaque S. Pater ex ipsis Pauli verbis, quod Petrus fuerit verè reprehensibilis; ac proinde etiam verè à veritatis Doctore reprehensus, quod ad veritatem Evangelii non rectè ambularet. Quisquis enim (verba sunt ejusdem) hoc facit quod facere debet, rectè utique facit; & ideo falsum de eo dicit, qui dicit eum non rectè fecisse, quod eum novit facere debuisse. Si autem verum scripsit Paulus, verum est, quod Petrus non rectè tunc ingrediebatur ad veritatem Evangelii. Id verò faciebat, quod facere non debebat.*

Dum ergo Paulus dicit Petrum fuisse reprehensibilem, hoc est, meruisse, ut reprehenderetur ob factum aliquod, rectæ rationi dissonum; non erat illud, quod cum Judæis comedisset conformiter legi Mosaicæ (ea siquidem, antequam Synagoga esset honorificè sepulta, in aliquibus casibus permittebatur. Et Paulus *Act.* 16. 18. 21. &c. id factis ostendit) sed illud factum Petri, cur reprehensibilis erat; erat quod timeret ad-

ventantibus Judæis displicere; ideoque sese retraheret à conversatione gentiliū, & Judæorum conversorum; Quo iis ansam præbuit suspicandi, quasi observatio legis Mosaicæ adhuc esset necessaria. Et quia Petrus hoc suo exemplo, efficacius, quam verbo observantiam legis prædicabat, gentes cogebat judaizare. Cui Paulus sese palam opposebat; ostendens, eos, qui suave jugum Christi susceperunt libertate Evangelica gaudere. Nequit ergo hic locum habere simulatio, quæ, æquè minus Paulo familiaris, quam verbis, in citata Epistola, consona sicut Petrum non innoxium, ita Paulum erroris complicem redderet. Neque enim utquam permissum esse simulationem adhibere, quando eadem esset petra scandali, quam allisi gentes judaizare cogebantur, aperto est; præterquam quod indecens videtur, & Apostolico muneri indignum, probationem dogmatis de circumcissione non necessaria, præteritam simulationem fictamque actionem in medium proferre, ut alias probationes abundè sufficiebant.

Ceterùm ex S. Augustini ratiocinatione conficitur hoc dilemma. Vel Sanctus Paulus verum dixit, quando dicit Petrum reprehensibilem fuisse, & secundùm Evangelii veritatem non ambulasse, gentesque cogebat judaizare; aut non dixit verum. Si verum dixit, ergo Petrus in eo erravit, & ab errore erat revocandus; non simulatè, sed sincerè, sed seridò. Si non verum dixit; ergo Epistola ad Galatas non est Canonica, nec verbum Dei; utpote ficta referens, quod fidei contrariatur. Deinde. Dum Paulus inscribit; aut corde sensit, quod scripsit, aut non. Si sensit; ergo sensit Petrum errasse, si minus, sequitur, quod in Epistola, ubi sub invocatione Dei proficitur se non mentiri, revera pejeraverit. Quod blasphemum erit autumare. Credens itaque Paulus Petrum verè reprehensibilem, non minus liberè, quam verè illum reprehendit.

In contrarium prolata videntur infirma iis, qui Sanctum Augustinum hic sequuntur, cui hac in parte magis quam S. Hieronymo Ecclesia consentit teste Dionysio Carthusiano in cap. 2. Epistolæ ad Galatas.

Ad 1. Respondetur Pauli increpatio pro-cax non fuit; quia ex iusta libertate processit; quam & Petrus humiliter pertulit, *quatenus is, qui primus esset in Apostolatus culmine, & primus esset in humilitate.* ait S. Gregorius hom. 18. in Ezechiel: *Quique consilium veritatis admisit; & rationi legitima, quam S. Paulus vindicabat, facile consensit.* Verba sunt primi ad Quint. Epist. 71. Quando Davidem corripuit Nathan, nec hic submissionem deposuit, nec ille superioritatem amisit. Idem est de Paulo, Petrum objurgante, qui subditus, propter imminens scandali periculum circa fidem, Petrum publicè arguit, ut docet S. Thom. loc. cit. *quæst. 3. ad 4.* Potest itaque casus occurrere, quo licitè ac decenter superior reprehendatur ab inferiore; quemadmodum in præfentiarum obvenit. Ex quo perperam quis deducit, Paulum Petro fuisse æqualem: sicut solidè probat Hubertinus, Episcopus verbum: *de Primatu S. Petri. lib. 2. cap. 4.* Ipsi etiam Patres, qui Pauli reprehensionem veram credunt; Petri tamen primatum salvant. & observant, quod hæc correctio fuerit fraterna, ex charitate, non juridica ex autoritate. Concludit Augustinus. *Est laus itaque iusta libertatis in Paulo, & Sanctæ humilitatis in Petro, quæ, quantum mihi pro modolo meo videtur, magis fuerat adversus calumniantem Porphyrium defendenda, quam ut ei daretur obirectandi occasio.* Quantum ad cætera, dicendum, quod Paulus reprehendendo Petrum, non Author; sed depulsor fuerit scandali. Neque peccaverit in legem Christi Marth. cap. 18. Nam ibi de offensis privatis agitur: Petri vero simulatio erat publica, quem Paulus coram omnibus arguit; ut inde arguendos er-

rantes pariter instrueret *Tim. 1. cap. 5.* Præclarè rursum S. Augustinus. *Quod hæc in publico dixerat, necessitas coegit: nec enim erat utile, errorem, qui palam noceret in publico non emendare.* Porro illud in *Faciens* sensum non habet. In speciem restitisse Paulum Petro: sed apertè, & in os, ut græca lectio prodit.

Ad 2. Respondet S. Augustinus. *Non inquiri quid Paulus fecerit: sed quid scripserit: & hæc ad quæstionem, quam suscepi, maxime pertinent.* Circumcidit Timotheum ex gentili Patre, Judæa matre; ne alias suum comitem Judæi aversarentur. Titum non circumcidit, ne videretur gentibus imponere jugum legale. Nunquam Paulus coegit gentes iudaizare; qui, dum legalibus fuit usus, fecit, ut Synagoga cum honestate, velut ad sepulchrum duceretur: omnibus omnia factus *1. Cor. 9.* Qui Petrum non objurgavit, quod Mosaicos observaret ritus: sed quod post Adventum Hierosolymitanorum nimium meticulosus ab Ethnicis sese separaverit, quibus familiariter olim, æque ac Paulus, usus fuerat.

Ad 3. Respondetur. Veritati Evangelicæ minimè derogatur, dum admittitur, quod illius ministri, in aliquo, quod fidem, saltem directè non respicit, leviter erraverint. Quin Apostolorum Principem quinque errasse observat S. Augustinus *de agon. Christia. cap. 30.* Cum in mari titubasset; & dum Christum carnaliter à passione revocasset; cum aurem servo præcidisset, & cum in simulationem superstitionis lapsus, & cum Dominum negasset.

Verum est, quod S. Joannes Chrysostomus, & aliqui, potissimum Græci, ut Juliani & Porphyrii maledicentiam retunderent, Petrum ab omni culpa in facto quæstionis eximant; quod idem facit Gabriel Vasquez *tom. 4. disp. 82.* Imo Cardinalis Baronius. *In Annali ad annum Christi 51. num. 42.* illud Petri factum magnâ condi-

tum

tum dicit prudentia? ne scilicet aliter faciendo Judæos scandalizaret. Consentit Petrus de Marca *De Concord. Lib. 3. cap. 15. nu. 7.* Quibus conformiter Cornelius à Lapide in hunc locum scribit Petrum ex parte justam habuisse causam, metum scilicet Judæorum. Judice Bellarmino *Lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 28.* sine dubio fuit in illo facto peccatum veniale, aut levissimum, aut etiam solùm materiale, id est, erratum sine culpa; utpote oprimo animo gestum. Ast si nulla prorsus culpa in Petro, ergo eadem fuit in Paulo; injusta scilicet reprehensio publica hominis non culpabilis. Quæ tamen culpa æquè minus admittenda in hoc, quàm inconsiderantia à Vasquez, aut ignorantia à Bellarmino, Petro adjudicata, etiam post receptionem Spiritus Sancti, qui, ut Christus prædixerat; eum docuit omnia. Ut verò ab omni etiam erroris periculo Petrus reddatur immunis, idem Eminentissimus Annalium conditor illa verba Lucae *cap. 22. Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua vult Petro personaliter dicta fuisse.* Id, quod facile alii concedent, ac ita quidem intelligi volunt de tempore Passionis duntaxat: quando scilicet Sathanas expetivit Apostolos, ut cribra- ret tanquam triticum: ipsique omnes scandalum passuri essent. Tunc enim Christus dixit. *Ego rogavi pro te Petre.* Non ut fidelis persisteret: siquidem gravissimè postea peccavit, Christum negando: sed ut finaliter non deficeret fides illius, nec infidelis semper permaneret; quin potius respiciens fratres suos in fide vacillantes confirmaret, & usque in finem vitæ fidelis perseverando, pro fide moreretur. Hic est sensus litteralis & historicus, quem Patres communiter amplectuntur, inter quos Jo. Chrysostomus, Augustinus, Theophylactus, Thom. Aquin: Bonaventura, Dionys. Carthusianus, aliique celebriores Theologi apud Ludovicum Maimbourg in *tract. de Fund. & prerog. Eccles. Roman.* Quamvis ergo Petrus in

fine, finaliter non defecerit: nec defecere potuerit; potuit nihilominus in aliis quibusdam deficere, seu errare; quemadmodum non ambulando ad veritatem Evangelii errasse perhibetur. Sed Baronio durum videtur verbum hoc. Qui *Loc. cit.* ut Petrum ab errore, & culpa vindicet, duo adducit in illius actione observanda: intentionem scilicet, & actum: vultque intentionem illius fuisse bonam, eo quod intenderit evitare scandalum, & ob hanc, utpote actum internum, solo Deo notum, non potuit Paulus Petrum culpabilem censere. Actus vero externus erat opus indifferens. Ast id verum est, si actus sumatur secundum se, absque circumstantiis, quæ illum in individuo vitiant. Intentio quidem, quæ, ut communis fert patetia, judicat actum, solique Deo nota est; adeoque ipsi Baronio ignota. Dum autem ex iplo opere patescit, præsumitur ordinariè actui conformis. Sed neque illa, quæ præter intentionem quandoque geruntur, omni semper culpa careant. Extenuetur, quantumcumque factum Petri nihilominus quod ipse, cui conceditum fuerat Evangelium in circumcissionem, timuisset; ne, qui protector passim habebatur Judæorum, desertoris partes agere videretur, cum non planè eximere valebit, quibus quid eruditissimus autumet Cardinalis. Petuit enim doctrina, conversatione & familiaritate conventionem, sese ab ea, quàm forte concepissent, suspitione sinistra facile liberare. Displicet proinde multis, quod *Loc. cit. num. 44.* Eminentissimo placuit; quod *Paulus reprehensibilem Petrum dixerit, quæ occasione operis jure ritèq; ex dispensatione potestati, res, quæ reprehendenda merito foret, aborta.* Hoc enim conciliari difficillimè poterit cum illo, quod Paulus ait, se vidisse quod ceteri Judæi, qui simulatione Petri consenserant, non rectè ambularent ad veritatem Evangelii. Quo significatur, quod moralis illa obliquitas in Petri & suorum al-

seclarum ambulatione fuerit ; quam , cum Gentium Doctor videret neophytis exitialem , iusta reprehensione voluit tollere. Perstat atamen sententia Tertulliani de *præscript. cap. 23.* Lanfranci Archi-Episcopi Cantuariensis , Petri Damiani & aliorum , quod Petrus fuerit à Paulo notatus non de prædicatione : sed de conversatione. Neque aliter Augustinum , Ambrosium , aliosve SS. Patres censuisse arbitratur Schellstrate. *Mart. Lib. 10.*

est lapis offensionis , hic petra scandali , in quam plures impegisse cognoscuntur. Itaque ut facta tecta persistat Sacrarum Litterarum veritas , superiora deserviant epicheremata , nequaquam ad Beatissimi Petri Apostolorum Principis factum insectandum , exaggerandum , aut inconcussam hanc caute arietandum. Rectè liquidem Præsul observat Hipponensis.

Quisquis in hanc Petram arietat ipsemet confringitur.

Sed nimius videor seraque coronide longus.

Quare morem gerere oportebit Purpurato perspicacissimo , magnitudine & majestate operis à se conscripti cæteris præferendo ; quando hanc tractando controversiam ita intonat. *Siste gradum Lector. Hic planè*

):(o):(

* * *



P

CON-